mihi hæ Thermæ videbantur, quod tamen ſummopere mirabar, etiamſi internum earundem uſum ob copioſè admixtas particulas calcarias nemini ſuaderem. Cæterùm in Thermis hiſce ſecundariis Cannabim macerare ſolent accolæ.

Relicto Viterbio loca quædam alia vidimus minùs notatu digna, donec tandem d. 4. Novembris totius terrarum Orbis quondam Dominam Romam ſc. intravimus. Quid in ampliſſima hac civitate circa ſtudia noſtra obſervaverim ex ſequentibus cognoſces literis, ubi præſentes Tibi non ingratas fuiſſe ex benevola reſponſione cognovero. Vale, Vir illuſtris, & amare perge inclyti Nominis Tui

Dabam *Gedani* 1711 d. 19. Septembr.

Cultorem humillimum

J. Phil. Breynium, M. D.

III. *Animadverſiones quædam in Codicem MS. membranaceum, ſuperiori Epiſtola memoratum: Excerptæ ex Additamentis* G. Ch. Schelhammeri *in* Herm. Conringij *Introductionem in Artem Medicam. Cap.* XII. *pag.* 401.

PRæter hos [*ſc.* Hippocratem, Galenum, & C. Celſum] *ex antiquo ævo, qui hanc doctrinam* [*Chirurgicam*] *ſcriptis tradiderit, neminem habemus.* H. Conringius.

Extant quidem plurimi, ſed ἀνέκδοτοι, ſi credimus *Johanni Sponio*, artis & antiquitatis peritia celeberrimo, in Auguſta illa Magni Ducis Hetruriæ Bibliotheca inter Manuſcripta ad Sancti Laurentij Ædem aſſervata; de quibus non pigebit verba ipſamet adſcribere ex *Itinerario*, quo per Italiam, Dalmatiam, Græciam, &

Aſſiam ſibi viſa notavit: Sic autem ubi de Florentiæ admirandis Sermonem inſtituit Idiomate nativo loquitur, quod nos Latine ſic redidimus: *Aliud Manuſcriptum commemorabo, quod pertinet ad Artem quam profiteor, & quod omnium per univerſam Europam Bibliothecarum, quantum quidem novimus, unicum extat. Eſt vaſtum volumen Græcum, continens Chirurgiam Antiquorum, Hippocratis, Galeni, Aſclepiadis, Bithyni, Apollonij, Archigenis, Nymphodori, Heliodori, Dioclis, Ruffi Epheſij, & Apollodori Cytienſis, in cujus opere figuræ cernuntur chartæ Pergamenæ inſcriptæ, ad modum reponendi luxatas partes attinentes. Hujus ultimi, pariter ac Aſclepiadis, Apollonij, & Dioclis aliquoties in Plinij operibus fit mentio. Archigenis etiam apud Galenum non infrequens eſt nomen: verùm integra ipſorum opera nullibi reperiuntur. Bithyni autem, Nymphodori, & Heliodori vix nomina nobis etiam nota ſunt.* Sane iſta omnia ſi ita haberent, uti Clariſſimus *Sponius* narrat, fraudi foret haud exiguæ rei Chirurgicæ, æternis tenebris tam eximium opus damnari, in quo fieri non poſſet, quin multa præclara admodum, ſummæq; utilitatis monita legerentur: multo enim plura fuiſſe recte obſervata antiquis illis, cum inter Medicorum filios Chirurgiæ ſtudium floreret, quàm noſtris temporibus ab indoctis plerumque operatoribus & rei anatomicæ imperitis fieri poteſt, rationi conveniens eſt, & res ipſa loquitur.

Verum enim vero fefelliſſe videtur optimum virum curſoria & feſtinata perluſtratio. Cum enim in his inſerendis animus eſſet, opportunè occurrit ſagaciſſimi antiquitatum medicarum Indagatoris, Collegæ conjunctiſſimi, *Meibomij* peritia, cui diutius Florentiæ ſubſiſtenti Bibliotheca illa Magni Ducis ad invidiam frui conceſſum fuiſſe noveram. Is igitur de hoc Codice conſultus tale mihi reſponſum miſit.

Liber ille, quem ex antiquis Chirurgis collegit quidam Medicus, *Nicetas*, neſcio cujus ævi, notiſſimus mihi eſt, illóque, in Magni Ducis Laurentiana Bibliotheca, Scamno LXXIV extante, licuit mihi uti, quamdiu Florentiæ fui, & pluſcula ex illo deſcribere. Non tamen Florentiæ ſolum, ut Sponius credit, ſed etiam in Regis Galliarum Bibliotheca eadem Collectio extat. Nec omnia, quæ in eo Codice habentur, inedita ſunt, nec ejuſdem momenti, multo minus Autores eorum ſunt incogniti. Deprehendi in eo quoſdam Libellos integros; de alijs non niſi tenuia quædam fragmenta. De Hippocratis, Galeni, Oribaſii, P. Æginetæ, Ruffi Epheſii, Palladij, aliunde notis ſcriptis & jam editis nihil moneo. De Bithyno, Nymphodoro, & Heliodoro tantum dicam aliquid, quoniam Sponius illorum nomina pene incognita exiſtimat. De Bithyno fortè non malè dixerit, eum alijs omnibus ne nomine quidem cognitum eſſe, quoniam ex Sponij cerebro nuperrime prodiit. Quæ enim ibi habentur fragmenta, ſunt Aſclepiadis ex Bithynia, ſeu Pruſienſis, cujus toties mentio fit apud Plinium & Galenum, ex quo ille duos facit, alterum Aſclepiadem, Bithynum alterum: quo eodem jure alium Rufum, alium Epheſium facere potuiſſet. Et vero Heliodorus quoque ex Ægineta & Oribaſio, qui ejus Chirurgica laudant: Nymphodorus quoq; ex Celſo & Galeno & eodem Oribaſio, propter Gloſſocomum quoq; potuiſſet eſſe cognitus. Jam tum etiam Heliodorum, cujus de Fracturis Capita xi. in hac Collectione extant, vertit & edidit Vidus Vidius. *G. C. Schelhammerus.*